

## Beiheft

2

S 331

1256 Juni 4 Dülmen.

Bischof Otto von Münster bestätigt die Schenkung eines Pfarrhauses an die Kirche in Dülmen.

Otto, Dei gratia Monasteriensis ecclesie episcopus, universis Christi fidibus hanc litteram inspecturis in Christo Jesu salutem. Quoniam ea, que digne ac laudabiliter a quibuslibet geruntur, non solum laudabilibus hominum memoriis, immo scriptis autenticis diu duraturis sunt commendanda, idecirco tam presentibus quam futuris notum esse cupimus per hanc nostram litteram, quod, cum Lothewicus, perpetuus vicarius ecclesie in Dulmene, primo venit ad ipsam ecclesiam et eadem ecclesia nullam haberet mansiōnem (vel) habitacionem, qua se reciperet, ipse magnum inde diu sustinuit incommodum et gravamen. Tandem pie motus et feliciter mente revolvens, qualiter huic occurseret defectui, convenienter domum suam et omnia edificia, que ipse construxerat in area, quam ipse tenebat ad vitam suam, de predio Gansebroke pro remedio anime sue et quarundam aliarum animarum sibi specialium contulit in proprietatem beato Victori, eiusdem ecclesie patrono, ad hoc, ut successor eius et sui successores, qui post ipsum sieut et ipse in eadem ecclesia divina celebabant, libere possint in eis habitare, ita tamen, quod nullus eorum prefata edifica valeat alicui dare, vendere vel obligare aut quolibet modo alienare sine consensu castellanorum de Dulmene et tocius parrochie. Nos igitur prefatam collacionem gratam et ratam habentes ipsam, sieut provide facta est, hoc scripto sigilli nostri munimine roboro confirmamus, firmiter inhibentes sub pena sententie excommunicationis iam late, ne quis eam ausu temerario audeat infringere, volentes, ut eadem consuetudo et gracia in predicta area, cum vacaverit, in locacione et conductione eius servetur, que in aliis arcis ville nostre Dulmene, cum vacaverint, observatur. Testes huius rei sunt Johannes pincerna de Emethen et filius eius Hinricus, Bruno sacerdos, Gerhardus de Widherden et filius eius Fredericus, Bernhardus de Widherden et Albertus filius eius, Macharius Dovende, Robertus de Laskap, Robertus de Hulleren et frater eius Bertoldus, Svetherus de Ridhen et Svetherus de Ripenskedon; Antonius, Bernhardus villicus, Bernhardus carpentarius, Welandus faber, Gozwinus pistor. Acta sunt hec anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>LVI<sup>o</sup>, in die Penthecostes in ecclesia Dulmene coram predictis et aliis pluribus, quasi quingentis parochianis de Dulmene.

Schwarzes Kopiar fol. 10.

[2]

331